



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 15. Duo Capucini fluctibus maris eximuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

nam fuisse speciem iteratio miraculi fidem facit. Biennio post vnus item è Patribus sermonem de more ad Canonicos, & circumfusam multitudinem habebat: plerique Patrum confessiones excipiebant aduenarum: nonnulli in augustissima Virginis cella Deo supplicabant; cum repente è summo tholo coelestis flamma, cometæ instar, emicare visa dicitur; atque inde supra sacellum lapsa, parumper ibi stetit: hinc ad concionem progressa, cunctis miraculo ac stupore torpentibus gratum præbuisse spectaculum: Demum flexo in diuersum cursu, ad destinatum confessionibus locum ( Poenitentiarium appellant ) supra sacerdotum, confitentiumque capita discurrisse: ad vltimum supra Christi crucifixi imaginem, quæ in sanctissimo sacello religiosè colitur, paulisper morata sublimis abiisse, omnium qui oculis coelestem illam flammam hauserant, pectoribus inflammatis.

*Duo Capucini fluctibus maris eximuntur.*

*Cap. XV.*

**N**Ec alia per id tempus defuere miracula, ex quibus nos ( quod nostrum institutum fert ) maxime illustria referemus. Anno circiter M. D. LIII. Franciscani Capucini duo, Lauretana Virgine salutata, ex Ancona soluerant in Dalmatiam traiecturi. In medio cursu atrox coorta tempestas præsens omnibus intentabat exitium. Igitur Nauarchus ad leuandam onere nauim versus iacturam vasorum, ac mercium facere. Franciscani in nauis angulo diuinam iram precibus placare coeperunt. At institores, siue damni dolore amentes, seu diabolicis instincti furijs, in Franciscanos illos periculi, vt videbantur, securos rabiem vertunt. Enimvero illorum vitio procellam exortam, eorundem exitio sedandam. Hæc vociferantes cooriuntur; in insontes impetum faciunt; comprehensos

*Trad. Lau.  
Ann. Lau.  
Rier.*

S in



in mare deturbant. At illi Lauretanam Virginem, quam  
 ingruente periculo inuocauerant, inter fluctus inclamare  
 pergebant. mira dictu, visuque res. Ex templo diuina  
 quãdam vi eos subleuatos cerneres toto exstare pectore  
 supinisque manibus Dei Deiparæque laudes cernatim ca-  
 nentes in ipso exasperati maris impetu placide ferri. Ita-  
 que breui ducente, ac vehente Deo, Anconæ portum pa-  
 riter tenuerunt. E vestigio in madidis vestibis, vt erant,  
 Lauretum ad agendas B. Mariæ grates regressi proster-  
 nunt corpora ante eius effigiem: obortisque lacrymis e-  
 nixe Deo ac Deiparæ grates agunt. Ex Lauretanorum  
 custodum numero Bernardinus Galiardus erat, vir haud  
 vana fide, idemque antiquus Capucinorum hospes: apud  
 quem illi, & priusquam Anconam peterent, & inde Lau-  
 retum reuersi diuerterant. Hic igitur Franciscanos, quos  
 dixi, salo perfusus hospitio recepit: & illi causam sciscitan-  
 ti hospiti tandem rem omnem, vti gesta erat, exposuerunt  
 hac lege, vt ipsorum nomina silentio premerentur, Galiar-  
 dus itaque suppressis illorum nominibus, rem deinceps a-  
 liis, vti ipse acceperat, enarrauit.

*Ad* *adolescens ex fluminis vorticibus eripitur.*

*Cap. X V I.*

Trad. Laur.  
 Ann. Laur.  
 Rier.

**H**Aud leuius periculum in flumine alius vitauit, quã  
 Franciscani in mari vitauerunt præsidio Virginis  
 Lauretanæ. Angelus Autanus ex agro Salernitano egre-  
 gia indole, ac pietate adolescens in Vulturum amnem,  
 qui Capuam præterfluit, abluendi corporis gratia, cum  
 æquali, gregalique suo descenderat. Cæterum eius socius  
 dum incaute progreditur, cæcos delatus in gurgites haud  
 procul aberat exitio. Accurrit impigre Autanus opem pe-  
 riclitanti laturus: sed ipse quoque idem periculum incur-  
 rit, quo frustra iam eximere alterum conabatur. Tamque

VOR-